

DIVVM PAVLVM  
EX IVRE CIVILI ROMANORVM  
DE  
TVTELA DISPVNTANTEM

---

AD  
NOVISSIMAS DECLAMATIONES  
SOLEMNES  
OCTO ACADEMIAE CANDIDATORVM  
DIE XXX SEPT. MDCCLVI

IN  
*ILL. GYMNASIO GVILIELMO-ERNESTINO*

CORAM PANEGYRI HABENDAS

OBSERVANTISSIME ET HVMANISSIME

INVITATVRVS

PROPONIT

M. IACOBVS CARPOV

*ILL. GYMNASII DIRECTOR MATHEM. P. P.*  
REGIAE BEROLINENSIS ACADEMIAE SCIENTIARVM  
ET LITTERARVM ELEGANTIORVM  
COLLEGA.



VINARIAE,  
LITTERIS MUMBACHIANIS.

Diss. jur. civ.

529,42

DI VINA PAVIA  
EX PARTE CIVILI ROMANA  
DE  
TITULA BILIBITANA

---

NOVISSIMAS DE CLAMATIONES  
SOLVENS  
GOTICACADREAE CANDIDATORVM  
DE ILLI SECTE MORTALI

RE GENTIO CIVILIS DIVERSO  
COMMISSIONARIIS  
COMMISSIONARIIS  
- 1714 -

PROBATA  
M. JACOBI S. CARP. P.  
DE GENTIO CIVILIS DIVERSO  
COMMISSIONARIIS  
COMMISSIONARIIS

RE GENTIO CIVILIS DIVERSO  
COMMISSIONARIIS  
COMMISSIONARIIS  
- 1714 -



# LECTORI VENERANDO

S. P.

I.

**C**um in acroasibus publicis, interpretationi librorum noni *Occasio scri-*  
foederis destinatis, in epistola Paulina ad Galatas, non *pti.*  
verborum tantum, sed etiam et praecipue doctrinarum  
habita ratione, enucleanda iam verser, non ita pridem  
incidi in locum memorabilem, in quo Paulus, indolem  
adseclarum Christi vtriusque foederis illustraturus, de  
tutela et curatela disputat. Qui cum aliorum virorum doctorum iam  
exercuerit ingenia a), mihi quoque de illo sententiam dicere licebit.

II.

Scilicet in tota ad Galatas epistola Paulus, legatus Seruatoris in- *Quo fine Pau-*  
regerrimus, id sibi habet propositum, vt circumcisionem et totam *lus de tutela*  
legem caerimoniam Mosaicam sub nouo foedere abrogatas, Iesuque *disputet?*  
Christi,

A 2

a) e. g. Stryck in Disp. de Iurisprudencia Pauli apostoli.

Christi, Domini nostri, per fidem adieclas in libertatem Christianam adsertos esse, cum ex aduerso conditio populi Dei sub veteri foedere ob iugum istarum legum seruilis fuerit, demonstret. Huius vero declarandi causa ille primo fideles veteris foederis cum captiuis in vincula coniectis, fideles vero foederis noui cum liberatis e carcere; deinde illos cum pueris, sub paedagogo existentibus, hos cum suo arbitrio relictis comparat. Dicit enim de priori Gal. III, 23: *priusquam veniret fides* (in praesentem Messiam), *sub lege* (caerimoniali) *custodiebamur* (tanquam captiui, quibus libertas agendi, quidquid velint, non est), *conclusi in fidem* (in Messiam praesentem), *quae futura erat, ut reuelaretur*; ex quo fit, ut, postquam haec fides manifestata est, non amplius sub custodia et quasi in vinculis legis caerimonialis simus; de posteriori autem v. 24: *itaque lex* (sub veteri foedere) *paedagogus noster fuit in Christum* (duritiae sua et rigore, quem seruare non poteramus, ad Christum nos compellens), *ut ex fide iustificaremur*; et v. 25: *at postquam venit fides* (in Messiam praesentem), *non amplius sub paedagogo sumus*; pariter ac, si venit pater, ad quem puer ob paedagogi duritiam se recipit, paedagogi potestas cessat. In his vero similitudinibus pergens apostolus tertio fideles V. T. cum pupillis et minorennibus, sub tutoribus et curatoribus existentibus, eos vero, qui ad nouum foedus pertinent, cum adolescentibus, plenam aetatem consecutis, ob eamque causam ex potestate tutorum et curatorum exeuntibus, comparat, Gal. IV, 1. seqq. sic fatus: λέγω δὲ, ἐφ' ὅσον χρόνον ὁ κληρονόμος νήπιός ἐστιν, ἃ δὲν διαφέρει δούλος, κύριος πάντων ὢν· ἀλλὰ ὑπὸ ἐπιτρόπης ἐστὶ καὶ οἰκονόμος ἄχρι τῆς προφητείας τῆ πατρὸς, h. e. dico autem, quam diu haeres infans est, nil differt a seruo, dominus omnium existens, sed est sub tutoribus et curatoribus usque ad tempus a patre praestitutum. Quae adsertiones cum ex iurisprudencia desumptae sint, consensum illarum cum iure ciuili Romanorum, sub quorum imperio vivebat Paulus, inuestigabo.

## III.

Quem Paulus  
vocat νήπιον;

Priusquam vero ad horum verborum sensum euoluendum progrediar, ante omnia, quem Paulus νήπιον appellet, videndum est. Νήπιος, a νή non et ἔπος verbum descendens, vi deriuationis signi-

ficat

significat

ficat quidem *infantem*, qui fari adhuc nescit; ratione vltus loquendi vero non *infantem* tantum, sed etiam *puerum*, *iuuenili aetate non exclusa*, denotat. Dum enim de se ipso Paulus 1 Cor. XIII. 11: *cum essem νήπιος, uti νήπιος loquebar, uti νήπιος sapiebam, uti νήπιος ratiocinabar; postquam autem factus sum vir, sustuli τὰ τῶ νηπίου* et loquelam et mentis sententiam et ratiocinia tribuit τῶ νηπίῳ, eumque viro opponit. At vero talia haec praedicata sunt, quae non infanti, in cunis vagienti, sed pueris atque adolescentibus competunt. Par ratio est, cum διδάσκαλος νηπίων praedicatur Rom. II. 20. Nam non infantes, in cunis vagientes, sed pueri atque adolescentes praceptoribus vtuntur. Tum cum pueri Christo in templo acclama- rent: *Hosianna filio Davidis!* Christus aduersus indignationem sacerdotum eos defendebat e verbis Davidis Ps. VIII. 3: *ex ore νηπίων et lactentium perfecisti laudem* Matth. XXI. 15. 16; ex quo adparet, eum non vocare νήπιον infantem, qui fari nequit, sed puerum loquentem, vocesque articulatas clamantem. Neque aliter se res habet, cum translate vox adhibetur a Christo, *gratias Deo agente, quod ad veram salutis viam pertinentia reuelauerit νηπίοις* Matth. XI. 25. Nam infans, in cunis vagiens, cognitionis abstractae reuelationisque recipiendae nondum capax est; est autem puer vel adolescens. In nostro loco vero νήπιον significare non tantum infantem, sed etiam puerum atque adolescentem, ex eo constat, quod ille sub tutoribus et curatoribus esse dicatur. Nam infantis vel pueri tutor, adolescentis autem curator est. Dico vero ἐπιτρόπος καὶ οἰκονόμος significare *tutores et curatores*. Nam curatoris praecipuum munus est opes annis minoris administrare; quocirca is huius est quasi oeconomus. Curatore autem voce οἰκονόμος denotato, ἐπίτροπον tutorem esse, ex vtriusque coniunctione adparet; licet alias alios quoque huius vocis significatus esse, non negem.

## IV.

Sed tutores atque curatores nominans, habiturum me, qui in *Vtrum Paulus diversa abeant, praeuideo. Etenim V. C. Frid. Christoph. Neubour de filio fami- in Meditat. Iuridico-Critica, ad dictum Paulinum Gal. IV. 1. 2. b) lias ex ephebie quem- egresso, an de pupillo,*

A 3

b) Vid. Biblioth. Hist. Philol. Theol. Bremens. Class. V. fasc. I. p. 40. seqq.

quemadmodum κληρονόμον νήπιον interpretatur filium familias, nondum ex ephebis egressum: ita τὰς ἐπιτρόπας καὶ οἰκονόμους esse non tutores et curatores, sed seruos pedagogos, custodes, quibus educatio liberorum a patre commissa erat, et seruos, dispensatores, qui non educationi, sed sustentationi, cibaria, vestiaria, libros, chartam, salaria praeceptorum, alia, dispensando, prospiciebant, docet, illustratque testimoniis Horatii et Iuuenalis, quorum ille custodis iuuenis imberbis, de arte poet. v. 161, hic tam custodis discipuli, quam dispensatoris mentionem faciat Sat. 7. Quare ex sententia Viri cl. Pauli mens est, filium familias, viuo patre, ex ephebis egressum, esse sub seruis custodibus et dispensatoribus, donec patri placeret, eum liberalius habere, sibi que ipsi relinquere. At vero cur, Paulum filium familias, viuum adhuc habentem patrem, dicere haeredem νήπιον, negem, tres potissimum rationes efficiunt. Primo enim filius familias, viuum patrem adhuc habens, haeres nondum est, quia haeres secundum ius Romanum est, qui succedit in vniuersum ius defuncti; sed Paulus haeredem νήπιον appellat. Et quamuis, filium familias forensi vocabulo suum haeredem patri dici interdum, non tantum defuncto, verum κατὰ πρόληψιν etiam viuenti, excipias, tamen quo minus, apostolum per πρόληψιν loqui, dicam, ratio obstat sequens. Nimirum secundo apostolus haeredem νήπιον non, futurum esse olim, sed esse dominum omnium bonorum paternorum (κύριος πάντων ὧν), dicit. At filius familias, viuum patrem habens, haudquaquam dominus omnium patris bonorum est, dum quidquid acquirit, non sibi acquirit, sed patri, ipse vero nullius rei, nisi forte peculii, si quod habet, est dominus. Itaque licet Romanorum ius dicat, filium familias, viuo patre, quodammodo dominum existimari c), id quod longe etiam aliud quid est, quam esse dominum omnium, ut dixit Paulus: tamen post mortem patris demum filium familias esse dominum, illud testatur luculenter. Ita enim Paulus Ictus d): In suis haeredibus euidentius apparet continuationem dominii eo rem perdere, ut nulla videatur haereditas fuisse, quasi olim hi domini essent, qui

c) §. 2. Inst. de haered. qualit. et differentia.

d) l. II. D. de liber. et posthum. haeredib. instit.

qui etiam viuo patre quodammodo domini existimantur : unde etiam filius familias appellatur, sicut pater familias, sola nota hac adiecta, per quam distinguitur genitor ab eo, qui genitus sit: itaque post mortem patris non haereditatem percipere videntur : sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur : hac ex causa, licet non sint heredes instituti, domini sunt. Denique apostolus testatur, haeredem *νήπιον* esse *ὑπο ἐπιτρόπης καὶ οἰκονόμου* usque ad tempus, a patre praestitutum (*ἀρχὴ τῆς προθεσμίας*, scilicet *ἡμέρας, τῷ πατρός*). Nam *προθεσμίων* significare ante constitutum, ipsa vocis deriuatio ostendit. At vero quanquam pater, testamento filio tutorem dans, tempus tutelae finiendae ante constituere, legibus derogaturus, solebat : in seruo tamen paedagogo vel administratore filio constituendo nulla futuri temporis determinatione opus erat, quia pater viuus exauctorare illum, quodocunque volebat, poterat. Cum igitur haeres *νήπιος* Paulo sit aut filius familias, viuum adhuc patrem habens, aut filius patre orbis, priori sententiae vero obstant argumenta proposita grauissima, vt de filio, orbo patre, impuberi, aut minorenni apostolo sermonem esse, dicamus, conficitur. Et quoniam huius sunt et utrum de tutores et curatores, de his me verba Paulina *ἐπιτροπὸς καὶ οἰκονόμος* tutore, an paedagogo loquatur? recte intelligere, arbitror. Opponis quidem primo, diuum Paulum dicere, quod haeres *νήπιος* nihil differat a seruo ; ob eamque causam pupillum, patre orbis, vt nimium differentem a seruo, intelligi non posse ; intelligendum igitur esse filium familias, viuum patrem habentem. At siue filium patre orbis, siue filium familias, viuum adhuc patrem habentem, intelligas, Pauli verba restringenda esse, in aperto est, siquidem nec filium familias, vt liberum hominem, viuo patre, nil differre a seruo, secundum ius Romanorum dici potest. Quare dum restrictione verborum etiam in opposita mihi sententia opus est, ob restrictionem, quam in sequentibus proponam, sententia mea subuerti nequit. Obiicis secundo: Paulum loqui de tempore, a patre praesinito ; sed nullam legem, nullam constitutionem, nullam obseruantiam vnquam patri facultatem dedisse, tempus tutelae siue testamento, siue alia quauis voluntatis declaratione praesigendi ; ex quo fiat, vt de tutela filii, patre orbi, apostolo sermo non sit. Habes autem legem Instit. l. 1. tit. 14. §. 3 : Ad certum tempus . . . . posse dari tutorem (sci-

(scilicet testamento, vti docet inscriptio tituli), non dubitatur; et Inst. l. 1. tit. 22. §. 5: *Qui ad certum tempus testamento dantur tutores, finio eo, deponunt tutelam.* Quae sane leges non eo rapi possunt, vt, finita tutela testamentaria, semper legitimus vel dativus tutor accedat, nec a tutela liberetur pupillus, quia vsque ad decimum sextum, vel octauum annum pater tutelam testamentariam extendere poterat; quo tempore exacto, a tutela liberatum fuisse pupillum, omni dubitatione est superius. Fateor etiam, tempus finiendae tutelae legibus Romanorum praescriptum fuisse, scilicet annum aetatis XIV completum in maribus; sed inde non sequitur, patri ius, de fine tutelae aliter statuendi, eamque ultra terminum legibus statutum extendendi, non fuisse; quia legis praescriptum tantum, vbi pater tutorem non dederat, aut de termino tutelae nil praefiniuerat, aut terminum illius nimis coarctauerat, valebat. Tum de filio familias loqui apostolum, et ἐπιτρέψας significare paedagogos seruos, neque ex eo probare potes, quod paulo ante dixerat Gal. III. 24: *Lex nobis est paedagogus ad Christum fide autem veniente, non amplius sumus sub paedagogo; deinde vero ad haec remittat dicens C. IV. 1: λέγω δὲ κ. τ. λ.* Nam longe breuiorem connexionem deprehendo, dum apostolus dixit c. III. 29: ἐστὲ κατ' ἐπαγγελίαν κληρονόμοι, eoque praemisso, statim indolem haeredis pupilli atque maiorenis exponit, et ad conditionem fidelium veteris et noui testamenti transfert c. IV. 1. seqq. Denique nec hoc sequitur: *veluti fideles, cum haeredibus comparati, non sunt orphani, sed habent Deum patrem viuum, qui se illos orphanos non relicturum, sancte pollicitus est: ita talis haeres in apostoli similitudine intelligendus est, qui patre adhuc viuo vititur.* Nam licet viui parentis ratio non habeatur, alia tamen comparationis membra, ab apostolo intenta atque enarrata, supersunt. Quibus omnibus sic se habentibus, de tutela pupillorum et curatione annis minorum, non de seruis paedagogis et dispensatoribus diuum Paulum similitudinem cepisse, satis, spero, est exploratum.

## V.

*Adserta Pauli  
de tutela.*

De haerede autem *νηπίω*, h. e. infante, puero, adolescente, patre orbo, quatuor praedicata adserit Paulus: 1. *eum esse dominum omnium*; 2. *eum non differre a seruo*; 3. *eum esse sub tutoribus et cura-*

*cura-*



curatoribus; 4. esse sub illis usque ad tempus a patre statutum. Singula membra discutere, et ex iure Romanorum illustrare, iam mihi animus est.

## VI.

*Νήπιον* haeredem dum dominum omnium esse, docet apostolus, id quidem non simpliciter, uti de Deo 1. Tim. VI. 15, et Christo Hebr. 1. 2. Act. X. 36, sed secundum quid, habita ratione facultatum paternarum, intelligendum esse, per se constat. Quo sensu sententia Pauli cum iure Romano consentit exactissime. Secundum hoc enim *haeres est, qui succedit in uniuersum ius defuncti e)*, quod scilicet personalissimum non est. At vero qui in uniuersum ius defuncti succedit, ille non potest non de omnium eorum, quae defuncti fuerunt, substantia, usu atque fructu pro arbitrio suo disponendi, facultatem moralem accipere, quoniam haec facultas in uniuerso isto defuncti iure continetur. Porro qui facultatem moralem de substantia, usu et fructu omnium eorum, quae defuncti fuerunt, pro arbitrio disponendi accipit, ille fit omnium eorum, quae defuncti fuerunt, dominus; id quod ex dominii notione in aperto est. Sequitur igitur, ut haeres, licet *νήπιος*, eorum omnium, quae defuncti fuerunt, dominus fiat; id quod apostolus docuit.

*Haeres νήπιος  
an dominus  
omnium?*

## VII.

Dum vero deinde docet apostolus, *haeredem νήπιον non differre a seruo*, id omnino sub restrictione capiendum est. *Haeres νήπιος non differat?* enim parente orbus, licet sub tutela existens, tamen est caput liberum, quia ipsa *tutela secundum ius Romanum est vis et potestas in capite libero f)*. Liber homo autem dum trium statuum, e quibus Romani personas aestimabant, libertatis, ciuitatis, atque familiae, gaudet aliquo, adeoque secundum ius Romanum persona est, fit inde, ut haeres, licet *νήπιος*, secundum ius Romanum persona sit. Cui accedit, quod ille, dum nec sub patria, nec sub dominica potestate est, fit homo sui iuris g). Ex aduerso seruus, dum est seruus, caret libertatis statu, et

B

quia

e) D. de R. I. §. 128.

f) Inst. l. 1, tit. 13. §. 1. Liceat corpus iuris interdum breuitatis causa more aliorum librorum allegare.

g) Inst. l. 1, tit. 8. pr. tit. 13. pr.

quia reliquorum etiam duorum statuum, civitatis scilicet et familiae, expers erat, ne quidem persona erat iure Romano, sed res h); cui addendum, quod utpote sub dominica existens potestate, sui iuris non fuerit i). Adest etiam haeredis pupilli et serui differentia alia. Haeres *νήπιος* dominus erat omnium, a defuncto ad ipsum translatorum (§.6.); cum e contrario servus, dum ipse in rebus censetur esse, nullius rei esset dominus, multoque minus rerum defuncti vllum dominium sibi vindicare posset. Conveniunt autem haeres *νήπιος* atque servus in eo, quod neuter de rebus defuncti pro arbitrio disponendi facultatem moralem habeat; non servus, quia dominus earum non est; neque haeres *νήπιος*, quia, licet is dominus earum et sui iuris sit, tamen ob aetatis et mentis imbecillitatem ante pubertatem est sub tutore, vim et potestatem in illo exercente ita, ut loco haeredis infantis omnia et solus agat tutor, si vero is fieri potest, ipse agat quidem, sed auctore tutore k), quem, quantum ad providentiam pupillarem, domini loco pupillus habere debet l); pubes autem factus sub curatore est, qui cum auctoritatem non, ut tutor, interponat, certe consensum ei, aliquid, quo deterior eius conditio fieri posset, aucturo, impertiri debet. Et hanc quidem convenientiam pupilli et serui respexit Paulus, haeredem *νήπιον* a seruo differre, negans, quoniam confestim pergit: *Sed est sub tutoribus et curatoribus.*

## VIII.

An sub tutore  
et curatore  
sit?

Hoc ipsum vero nunc ad lancem iuris Romani ponderandum est. Nimirum cum dicit Paulus: *haeredem νήπιον*, h. e. non infantem tantum et puerum, sed etiam adolescentem, *sub tutoribus et curatoribus esse*, hoc non omnino cum iure Romano, quale id quidem tempore Pauli erat, consentire videtur. Quamvis enim, haeredem impuberem sub tutore fuisse et esse debuisse secundum leges Romanorum, satis sit exploratum, de curatore tamen puberis non pariter se res habet. Nam cum ex lege Laetoria adolescentibus puberibus, petentibus tantum, et causa cognita, curatores darentur, idque secundum canonem: *inuito adolescenti curatorem dari non posse*: tandem M. Aurelius Antoninus Imperator omnibus adolescentibus, etiam causa

h) Inst. I. I. tit. 16. §. 4. D. I. 31. leg. 32. §. 2. i) Inst. I. I. tit. 8. pr.  
k) D. I. 26. tit. 7. leg. I. §. 2. it. leg. 5. D. de R. I. l) D. I. 26. tit. 7. leg. 27

causa non cognita, curatores dari iussit, ita tamen, ut sibi peterent, quos vellent, ne invito adolescenti curator dari videretur, ad petendum autem compulit illos eo, quod tutoris administratio non, nisi constituto curatore, finire debuerit m). Ita vero cum curatores habendi necessitas adolescentibus puberibus saeculo post Christum natum secundo primum imposita fuerit, difficile intellectu videtur, quomodo Paulus circa medium saeculi primi, haeredem *νήπιον*, adolescentem, puberem, sub curatore esse, sine discrimine dicere potuerit? At non desunt conciliationis viae. Potes enim secundum ius Romanum ita interpretari Paulum, quod haeres *νήπιος*, quoad, nondum completo anno aetatis decimo quarto, puer *impuber* est, sub tutore sit; *puber* autem factus sub curatore, si quem petat. Vel si haeredem *impuberem tantum* intelligas, potest etiam hic verborum Pauli sensus esse, quod is sit sub tutoribus et curatoribus, quatenus unus personae atque educationis, alter administrationis bonorum curam gerat. Nam quia tutor primario personae, secundario autem opibus administrandis dabatur n); nec insolens erat apud Romanos, plures uno tutores pupillo simul dari o): fieri poterat, ut, officio tutoris in duas quasi partes diuiso, alter personae, alter opum administrationi praesesset, sicque posterior hic sub tutoris nomine, proprie loquendo, curator bonorum tantum exstiterit. Denique Imperator Iustinianus etiam obseruauit, *si legitimus tutor, vel si testamento, aut a praetore, aut praeside datus tutor idoneus non sit ad administrationem, curatorem ei adiungi solere, quia habenti tutorem, alius tutor dari nequeat; nec non loco tutorum, qui non in perpetuum, sed ad tempus a tutela excusantur, solere curatores dari p)*. Ita igitur, quocumque capias modo, sententiam Pauli cum iure Romano conciliari posse, intelliges.

## IX.

Si quaeras autem: quomodo haeres *νήπιος* sub tutoris ac cura-  
 toris potestatem veniat? hoc apostolus, quippe satis cognitum omnibus,  
 qui iuris Romani aliqua sunt notitia instructi, praetermisit. Abunde  
 enim notum est, secundum ius Romanum omnem tutelam fuisse vel  
 Quomodo sub  
 tutorem et cu-  
 ratorem veni-  
 at?

B 2

testa-

m) Heinecc. Instit. Iur. §. 27.

n) Inst. l. 1. tit. 14. §. 4. D. l. 26. tit. 2. leg. 12. 14.

o) D. l. 26. tit. 7. leg. 24. §. 1.

p) Inst. l. 1. tit. 23. §. 5.

*testamentariam*, cum pater filio per testamentum tutorem instituit, idque secundum legem XII tabularum: *Pater familias uti legasset super familia, pecunia tutelaue suae rei, ita ius esto*; vel *legitimam*, cum, deficiente tutela testamentaria, proximus agnatus, ut spem successionis habens, tutelae onus secundum leges XII. tabularum suscipere deberet; vel *datiuam*, cum, deficiente tutela testamentaria et legitima, praetor tutorem daret. Curatores autem minoribus dabantur ab iisdem magistratibus, a quibus et tutores q).

## X.

Quomodo haeres minor sit sub tutela vsque ad tempus a patre statutum?

Sed videndum est etiam: quid de fine tutelae et curationis apostolus doceat? Secundum ius Romanum tutela finiebatur 1) morte tum tutoris, tum pupilli r), quia nec mortuus viuum defendere poterat, nec mortuus defensione viui egebat; 2) *capitis diminutione*, pupilli quidem quacunque, tutoris vero tantum media et maxima s), de quo vberius disputare, huius loci non est; 3) *pubertate pupilli*, siue illam cum Proculeianis ex annis, siue cum Cassianis ex habitu corporis, siue cum Prisco ex utroque indicio simul aestimauerint Romani, Iustiano tandem ad Proculeianorum sententiam accedente t). Nam ad impuberem defendendum et bona eius administranda tantum tutor datus erat. Finiebatur eadem 4) *excusatione* et 5) *remotione*, de quibus copiosius agitur in iure Romano. Denique 6) quia pater testamento de tutela pro arbitrio disponere poterat (§. 9.), poterat etiam tutorem filio in diem, h. e. ad certum tempus, dare u); vnde fiebat saepe, ut parentes testamento definirent annum, quo puberes haberi deberent liberi, modo annum decimum quartum x), modo decimum octauum y), modo decimum sextum z). Quia vero uti pater testamento de tutela filii disposuerat, ita ius erat apud Romanos, consequens est, ut, *veniente die vel tempore, a patre statuto per testamentum, tutela finiretur a)*, et ab illa liberaretur pupillus, nisi adhuc esset impubes, siquidem si talis erat adhuc, finita tutela testamentaria, legitima vel datiuam vsque ad pubertatem veniebat. Apostolus igitur dum, *haeredem*

q) Inst. l. I. tit. 23. §. 2.

r) Inst. l. I. tit. 22. §. 3.

s) Inst. l. I. tit. 22. §. 1. 4.

t) l. c. pr. Heinecc. Instit. Iur. §. 260.

u) Inst. l. I. tit. 14. §. 3.

x) D. leg. 49. de legat. I.

y) D. leg. 101. §. 2. de cond. et demonstr.

z) D. leg. 34. §. 2. de legat. 3.

a) Inst. l. I. tit. 22. §. 5.

dem  $\nu\eta\tau\iota\omicron\nu$  sub tutela esse, dicit, usque ad tempus a patre statutum, solius testamentariae tutelae rationem habuit, non solum quia haec erat omnium praecipua, et legitimam et datiuam excludens, sed etiam quia haec sola adplicationi ad negotium spirituale, nimirum conditionem fidelium veteris et noui testamenti ostendendam, erat conueniens.

## XI.

Ex aduerso cum apostolus, *haeredem  $\nu\eta\tau\iota\omicron\nu$  etiam sub curatione curatoris esse usque ad tempus a patre statutum*, temporeque illo veniente, cessare curationem, docet, hoc non omnino iuri Romano consentaneum videtur. Nam secundum hoc ius omnis *curatio* est vel *legitima agnatorum*, pertinens ad furiosos et prodigos, vel *datiua*, cum praetor aetate minori aliisue, qui rebus suis superesse non poterant, surdis, mutis, perpetuo morbo laborantibus, curatorem daret; testamentaria autem curatio nulla erat b), quia pater familias ex lege XII tabularum *legare poterat de tutela*, non autem de curatione *suae rei*. Quare si non datus fuit curator testamento, pater familias curationi illius finem praescribere testamento non potuit. Sed salua res est. Pater familias non quidem testamento filio minorenni curatorem dare poterat, ipso iure validum; si autem dederat nihilominus, *decreto praetoris, vel praesidis ille confirmabatur* c). Vnde si in diem eum testamento dederat pater, sic datus etiam confirmabatur decreto praetoris vel praesidis. Ex quo fit porro, vt tempore, a patre statuto, curatio finiretur. Atque hoc ipsum est sine dubio, cuius rationem Paulus habuit.

Quomodo sub curatione?

## XII.

Quemadmodum sic vero  $\omega\pi\omicron\theta\epsilon\omicron\mu\iota\alpha$  patris, quam confirmauerat iudex, finiebatur curatio (§. II.), sic, deficiente illa, ne de morte, excusatione, remotione, aliisque causis dicam, eidem finis imponebatur aut per *maiorennitatem*, aut per *veniam aetatis impetratam*. Cum enim adolescens viginti annis maior, nisi data opera stultorum gregi se adsociare, et stultitiae praemia capere velit, regere se ipse, et opes suas administrare possit, lege Laetoria inuectum est, vt, expleto XXV aetatis anno, minorennitas finiatur, curatioque exspiret, Laetorio forsan, longissimum vitae humanae terminum esse saeculum, primumque eius

Alii curationem finiendi modi.

B 3

qua-

b) Inst. I. I. tit. 23. §. 1. 3. 4.

c) l. c. §. 1.

quadrantem iuventuti recte tribui, existimante d). Quia vero tempora possunt accidere, quibus adolescentem puberem, sed XXV annis minorem, ipsum rebus suis praeesse, et paternam frugem vel auitum patrimonium gubernare, praestet, quam facultates ipsius diutius arbitrio curatoris administrari: Imperator Iustinianus novum sibi reservavit finiendae curationis modum, veniam aetatis, post vigesimum aetatis annum adolescentibus perentibus, si morum honestatem et probitatem animi probauerint, impertiendam e). Sed horum diuus Paulus, aut quia, viuo ipso, nondum inuenta, aut quia intentioni ipsius non consentanea fuerunt, mentionem non fecit.

## XIII.

*Paulus de tutelis disputavit ex iure civili Romanorum.*

Tantus igitur cum sit adsertionum Pauli cum iure civili Romanorum, quale id quidem ipsius aetate fuit, consensus, cumque eundem apostolum, vel in profanorum scriptorum libris versatum, ignarum fuisse iurium populi, sub cuius ditione is vivebat, nullo modo putandum sit, maxime cum, illum eiusdem iuris tam beneficiis, quam principiis alibi usum esse ad se tuendum, et veritates caelestes explicandas, legamus f): ex iure civili Romanorum illum disputasse de tutoribus et curatoribus, dubitandum non est.

## XIV.

*Adplicatio doctrinae de tutelis ad negotium spirituale.*

Sed paucis applicationem ad negotium spirituale ex mente apostoli addam. Veluti pupillus aut minorennis sub tutore vel curatore est, quorum potestate libertas eius admodum restringitur, licet reuera omnium paternarum opum dominus sit: ita fideles V. T. quamvis omnium bonorum spiritualium, ad salutem aeternam necessariorum, participes essent, libertate tamen agendi, per legem caerimonialem admodum restricta, utebantur, ideoque servis similes videbantur esse. Quemadmodum vero conditio ista pupilli non semper, sed tantum ad tempus, a patre statutum, durabat, quo exacto, potestas tutorum et curatorum evanescebat, et pupillus vel minorennis plena libertate in se ipso regendo et bonis administrandis fruebatur: ita Deus ecclesiae tempus finiendi status

ser-

d) L. 2. Cod. Theodof. de donat. Gundling ad tit. D. de minor. XXV annis §. 4. 6. Inst. l. I. tit. 23. pr.

e) Cod. l. 2. tit. 45. leg. 2.

f) Rom. VIII. 17. Hebr. IX. 16. 17. Act. XXII. 25. seqq. XXV. 10. 11.

seruili praestituerat, quo ad finem perducto, per filium suum, missum in carnem, fidelibus libertatem a iugo legum caerimonialium dedit; id quod docet Paulus Gal. IV. 3. seqq. Ista vero libertas quoniam summum est beneficium diuinum, Christianis datum, illam gratissima mente agnoscamus, nequaquam vero in libertatem peccandi vertamus, nostri est officii Gal. V. 13.

## XV.

Sequitur nunc, vt quod temporis ratio requirit, exsequar. O&o *Syllabus declamantium et dicendi argumenta.*  
discipuli conspectioris ingenii,

I. IOH. HENR. CHRIST. BECHMANN

Vinariensis,

II. AMBROSIVS BERGMANN

Liouus,

III. IOH. CHRIST. FRIDER. KIRCHNER

Dornburgensis,

IV. IOH. HENR. HEYNOLD

Vinariensis,

V. IOH. HENR. EVCHAR. MULLER

Vinariensis,

VI. GVILIELM. CONR. HOFMANN

Vinariensis,

VII. IOH. ADOLPH. IACOB. RENTSCH

Vinariensis,

VIII. DAVID SIGMVND IVRGENS

Wolmaria Liouus,

adsunt, qui scamna scholastica cum academicis commutaturi, nouissima diligentiae atque profectuum documenta g) in medium adferre, simulque Maecenatum et Patronorum fauori se commendare publice, priusquam discedant, cupiant. Postquam igitur illis auctor fui, vt discussionem institutorum Lycurgi, admodum singularium interdum, et ad nimium virtutis inclinantium, persequantur, oratorum nostrorum

g) Dico *novissima*, quia primus, tertius, quintus, sextus olim semel, secundus bis, septimus ter declamando, oratores se praestiterunt. Vid. Comment. de applicatione methodi scientif. ad Theol. Revel. spec. VI. it. Comment. de mundo sine limite. extenso P. I. III.

PRIMVS *de nimio virtutis generatim* disputabit Latine.

Deinde eodem sermone

SECUNDVS explanaturus est legem: *pauperes et diuites vestiantur eodem modo*;

TERTIVS vero carmine Germanico hanc: *aurum et pictas vestes non matronae, sed meretrices gerant*; porro Graece

QUARTVS hanc: *Balnea et unctiones a ciuitate absint*;

QVINTVS hanc: *Instructa acie, quiuis corona caput cingat*, sermone Latino;

SEXTVS hanc: *Annulus in digito sit tantum ferreus*, oratione Germanica;

SEPTIMVS hanc: *Pugnaturi induant vestes purpureas*, sermone Gallico;

OCTAVVS Latine hanc: *in pompis et certaminibus, tum pueri, tum virgines nudaee sint*; quas omnes enarrauit ex antiquis scriptoribus Cragius *de Republ. Lacedaem. lib. III. tab. VI.* Epimetri loco autem tertius declamationi suae gratiarum actionem humillimam pro mensa principali gratuita adiunget, sed octauus communi omnium nomine valere omnes iubebit.

## XVI.

*Inuitatio.*

His vero declamationibus ne solemnitas desit, quam optamus, SUMMORVM COLLEGIORVM PRAESIDES eorumque aequae AVLAE MAGNATES, VIROS, MAGNIFICVM, CONSULTISSIMOS, EXPERIENTISSIMOS, SUMME MAXIMEQVE REVERENDOS, DOCTISSIMOS, CLARISSIMOS, omnesque MVSARVM PATRONOS, vt cras post horam VIII. matutinam splendida praesentia sua Gymnasium nostrum illuminent, linguisque faueant declamantium, quibus ego simul largam gratiae diuinae mensuram et prosperum studiorum academicorum successum ex animo adprecor, obseruantissime et amicissime rogo.

P. P. VINARIAE DIE XXIX SEPT. MDCCLVI.

